...nthus

Pataszowski Casim. Stanisl. Anchora emeriti honoris theologica laurea.

ANCHORA
EMERITI HONORIS,
THEOLOGICA LAUREA
IN
PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,
D.M. HYACINTHO
ŁOPACKI,
Philosophiæ & Medicinæ DOCTORE, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Collegiatæ Sandomiriensis DECANO, B. M. Virginis in Circulo Cracov: ARCHIPRESBYTERO INFULATO
CORONATA;
DUM
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR,
IN ALMA UNIVERSITATE CRACOVIENSI
A
PERILLUSTRI & ADMODUM REVERENDO DOMINO
D.M. MARTINO
WALESZYNSKI,
Sacræ Theologiæ DOCTORE & PROFESSORE, Collega Majore, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI, Scarbimiriensis & S. MICHAELIS in Arce Crac: CUSTODE, S. GEORGIJ in Scepusio & Premykoviensi PRÆPOSITO, Contubernij Hierosolymitani PROVISORE, Librorum per Diæcesim Cracoviensem Ordinario CENSORE, Canonizationis B. JOANNIS CANTIJ PROCURATORE, Studij Generalis Universitatis Crac: PROCANCELLARIO ac interea Facultatis Theologicæ DECANO
RITU SOLENNI CREARETUR.
Stylô Oratoriô
Per M. CASIMIRUM STANISLAUM PAŁASZOWSKI, Philosophiæ DOCTOREM Tylicianum Eloquentiæ Professorem, Collegam Majorem,
DELINEATA.
Annô Domini 1727. Die 27. Januarij.

CRACOVIÆ TYPIS ACADEMICIS

In Gentilitium Stemma
PERILLUSTRIS REVERENDISSIMI
D O M I N I



Anchora ŁOPACII Malum ſub ſidera tollit,
In fundo laudis, quòd ſtetit ipſa notat.
Altius in littus Stellâ ductrice feratur,
Donec ſupremi tangat honoris opes.

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE.

SAcer Theologicus honor titulis terrestribus major, vix unquam celsius fastigium & ipsis Cælis propinquius culmen habere potuit; quàm Tuam tot Corymbis Doctoralibus Frontem redimitam. Auges etenim decora decoribus, pretium accumulas pretio, aurum adijcis auro, floribus intermisces flores; virtuti-

bus magnísq; meritis vernantissimus & pretiosissimus HYACINTHUS. Evolvo Annalium fastos, & quotquot sedulâ lectione revolvo Viros; omnibus una frontis parte coronari, una dote valere, & mentis qualitate eminere, satis ad gloriam fuit. Plana valuit divisione Socrates, acuta subtilitate Democritus, hyblæa svavitate Theophrastus, tortuosa implicatione Aristoteles, grata verborum varietate Carneades, sensuum pondere Zeno, minimè perplexa facilitate Themistius, eruditione totum in universum diffusa Simplicius supra cæteros excellebat. Vir viro & Heros Heroe præstabat quidem, sed dos quæ uni inerat, alteri deesse solebat. Qui una manu Orientem, altera Occidentem portavit Alexander Macedo, parva manu & exigua Militis copiâ maximas hostium novit vincere phalanges. Pyrrhus Epirotharum Regnator metationi castrorum scivit eligere campũ. Annibal à teneris contra Romam rugando frontem, vincere; at uti victoriâ nescivit. Vidit Orbis Romanæ Parentem eloquentiæ Ciceronem Oratorem; Pompeium Imperatorem. Æstimauit Catonem Senatorem; Scipionem celeberrimũ Bellatorem.

Inde

Inde varijs variæ Civium Servatoribus Civicæ; ab obſidione liberatoribus Obſidionales, Roſtratæ, Floreæ, aureæq; evenerunt Coronæ, & nemini omnes. Alia Ptolomæum & Euclidem, alia Ariſtotelem redimiebat Corymbus. Vitta quam Galenus Æſculapiusve docto vertice portavit, eximium antiquitatis Magiſtrum non vinciebat Platonem. Totô frondiferô Parnaſſô dulce eloqvij mare coronabatur Maro, ſed flores non nexuit in ſui decoramentum capitis, quibûs Tullius redimiebatur. Deos ipſos hanc in paginam voco, & ſingulos ſingulis diſtingvi muneribûs adverto. Tonans Iupiter tela triſulca gerit, quæ nunquam ad alium ſpectant. Monſtrorum domitor Hercules ita Clavam preſsîs manibûs tenet, ne illam alteri concredat. Quo tumidas Neræi compeſcit procellas fulcitur ſolus Neptunus Tridente, Facundus Nepos Atlantis Mercurius quanquam à diverſis Superûm ſecretis Nuntium agat, uno tamen caduceô inſignitur. In merita & demerita hominum oculata Aſtræa, multis in Areopagis, & Tribunalium ſubſellijs unũ æquilibrium tenet, quo ſolo unicuiq; quod ſuum eſt, menſurat, ſeq; ab alijs diſcriminatam

 tam

tam oſtendit. Tota ſelectiſſima ſive Virorum ſive Deorum cohors alta lege ſibi deſtinatis fungendo negotijs, nunquam multiplicî redimitur Inſignî. Quod uni conceſſum ab alio eſt remotū. Aſt in Te REVERENDISSIME DOMINE miſta profluxêre dona, quæ diſtinctim alios efficiunt fortunatos. Mentem Tuam Pandoram Superi voluerunt eſſe, hæcq; in Te pulcherrimo illoq; concordi compendiârunt artificio, quibûs alij præcellebant. Imò ut ſingulorum munera cumulatiùs æſtimarentur, Tu unus præſtas. Adæquâſti elevato ingenio ſummum Ariſtotelem. Æſculapio tribuebat Antiquitas Divinitatem, ſed illam ex Te habet veriorem. Sol Thomiſticus Tuo in pectore parælia pingit, quæ mentis Tuæ adauges Phæbô. Plures Tibi ſimiles literarum & Literatorum Numen ſi ſæpius ſpectaret Minerva, viribus enervata proprijs, tot & tam frequentes non ſufficeret Divina manu ſuppeditare Coronas. Vna in aliam nectitur ſinuaturq; corymbus, & ex toto frontis tuæ Majeſtatem non redimit. Binæ Philoſophicæ laureæ quas Cracij Parnaſſi geminavit Apollo, tertiam addidit Æſculapius Patavinus, & adhuc impar Tuis

Tem-

Temporibus visa. Necesse fuit, ut Tua erudita virtus ac merita simul toto coronarentur Academô, lauretumq; totum simul in unum Fronti Tuæ abiret sertum, nisi Ipse qui nemini soles esse molestus, tam gravi simultaneo labore Parnassia Nomina absolvenda censeres. Partitus es Tui Capitis coronamenta, justumq; Palladi spatium & intervallum temporis dedisti; ne ignotum esset, quòd æternitatis symbola doctarum præmia frontium laurus non nasci Tibi, sed fieri volueris. Veneror in Te Tergeminas Peraugusti Capituli Cracoviensis Coronas, Philosophicas & Galenisticas taceo, soli applaudo Laureæ Theologicæ. Imò etiam huic impar debilem ingenij Cymbam Tuæ Gentilitiæ alligo Anchoræ, & attonitus hæreo. Novi quàm vastum requiritur flumen, ut hanc excipiat Anchoram, quæ omne laudum attigit profundũ. Habet Oceanum suæ gloriæ, latices Oratorios ne renueret, facilè timerem, nisi scirem, quòd in Anchora spes firmæ soleant poni. Ergo publicîs in solenni pro Sacra Theologia Doctoratu Tuo permotus plausibûs Arma Virumq; tenui dictione cano, & quomodo ANCHORA Emeriti Honoris Theologicâ

Laureâ in Te PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE coronetur? testibus inſcribo chartis, ſaltim inde floridũ habiturus ſtylum, quòd illum Tuis Hyacinthinis venerabundus ſubijcio plantis.

Pulchra meritorum decora, virtutis formoſa merces Coronæ, frontes emeritas doctaq; tempora dùm exornant, aliquando in Naves ſinuari ſolent, jamq; non novum eſt cum laureato occinere Vate: *ECCE CORONATÆ PORTVM TETIGERE CARINÆ.* Vicit Lucullus Regem Ponti Mithridatem, laureatã navim lætæ nuntiam victoriæ Romam expedivit. Dioniſius tyrannus cùm literas & humanitatem à Platone diſcere vellet, pro illo coronata navigia ordinaverat. Antiquitas ſuccedanei magiſtra Orbis quoties ſuperatîs Neptuni procellîs felicem portũ beataſq; appulerat Inſulas, naves gratitudinis ergò coronabat, quidni & Anchora debeat coronari. Clavâ vincebat monſtra Hercules, cum clava inter ſidera relatus. Orphæi cythara hunc apud Superos quem & ipſe conſecuta locum. Nec ab Apolline quô interfecit draconem diviſus Arcus. Per radios ſerenus Titan cum radijs Princeps luminum nuncupatur. Per Anchoras

bea-

beatam Rhodum felices Insulas appellant navigia, quas ipsa, has & illæ merentur Coronas. Cæli ipsi Tuam Anchoram NeoDoctor Dignissime coronare videntur, ut sidera testes. Major est quàm Argo-navi Iasonis Tuæ Anchoræ honor & reverentia. Illam Pöëtarum commenta inter sidera locant, ad hanc sidera descendunt. Auream Anchoram in quaSolis & Lunæ imago fuit, contra Augustum pugnaturo miserat olim suo Antonio Ægyptiorum Regina; ad victoriam an ipsi præluxerit? non inquiro. Tuam reverentî oculô dum intueor Anchoram, de ipsis Cælis triumphatricem veneror, in qua dum & formam conspicio Crucis, quid illi ad Coronas, quid ad victorias deesse potest? Crux fastigium mundi benedicit triumphis, sidera splendorem commendant. Accendant alijs non postremū jubar Majorum Ceræ, ipsaq; Lucina meridiem honoris ominetur. Tibi REVERENDISSIME DOMINE & Natalium splendor & inextincta Cæli sidera ita suo coruscanti famulantur lumine, suntq; Pharos lucidissima, ut nisi in alto honoris Anchoram figas. Sentit Regum Coronatrix Orbisq; Poloni & Urbium Caput Cracovia, quæ

Tuæ Anchoræ debetur Corona. E Germania noſtro finitima Regno per immenſa meritorum latifundia portata, ad Hydaſpē Polonum Viſtulam, portum in Urbe Cracia nacta, quantum fuerit publicæ in magnis inſultibus atq; procellis aureum retinaculum fortunæ, ab invitis teſtimonia præbentur. Adhuc tunc erat Conſularibûs redimita Faſcibûs, quando illi ad Cracium ſpectabant Prætorium, qui poſtea Curules Senatorias impleverunt. Gloria Tua Cracovia eſt, quòd in ipſa origine non parvis initijs creviſti. Magnus Princeps Tibi exordia dedit, cujus nomen retines. Magni Dynaſtæ & Proceres Tuos agebant Conſules, ut in Vrbium creſceres Caput. Nunc cùm adhuc retineas Anchoram, ſpes in meliores aſſurgas, nunquam à felici portu removenda. Da reverentiam Anchoræ Gētilitiæ ŁOPACCIORVM quæ ut cæpit, Te hucuſq; in dubijs firmat & Tuas integerrimas ſortes ire in naufragiū non permittit. Genus Tuū Eruditiſſime Neo-Doctor à Clariſſimis Nobiliſſimisq; Aboriginibus deductum umbratilem dictionem ſuo obruit ſplendore. Diffuſum ſangvinis per Faſces Conſulares & Laureas Mare modicos oratio-

tionis rivulos abſorbet. Solus mihi dicendorũ meta es, & Anchoræ Corona. Nihilominùs trado poſteritati legendum Tuum digniſſimum Progenitorẽ, qui ſibi aurô cedrôq; dignis meritis immortales promeruit characteres. Veneror Abavos Atavoſq; Tuos, quos ille in ſe compendiaverat. Nobiliſſimus fuit Vrbis Craciæ Conſul, doctiſſimus Medicinæ Doctor, Clariſſimus Profeſſor. Equitem Auratum facilè memoro, quia Virum æſtimationis & pretij ingentis. Quanquàm HYACINTHVS in Elyſios felicis æternitatis ſit tranſportatus Cãpos, famâ tamen ſuâ & meritîs immortalibus nunquam marceſcere poteſt. Ad penetralia fatidici Apollinis admiſſus, ea ſecreta didicerat, quæ alijs vix mirari licet. Quidquid ſplendoris per Europam & inclytas Academias diffuſi, totum in animum collegit. ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO PETRO COMITI de Pilca KORYCINSKI, PRÆPOSITO Generali Miechoviẽſi, ad SERENISSIMVM & POTENTISSIMVM PRINCIPEM CAROLVM, Hiſpaniarum REGEM Catholicum, & ad SERENISSIMVM PETRVM Regentem Regni Luſitaniæ Legationis munere fungenti ſive

D pro-

Prodromum ſive Comitem egit, hanc viam ſervavit, quam Aurora conjuncta Phæbo. Orientis Domitoris SERENISSIMI olim & INVICTISSIMI IOANNIS III. Poloniarum REGIS, Ducum in Klewan CZARTORYNSCIORUM POTOCCIORUM MORSTINIORUM multorumq; aliorum Procerum & Principum amor ingensq; delicium oſtendit, poſſe in Polonia Æſculapios eſſe, totius ad invidiam Orbis. Annis ſexaginta eruditiſſimum Profeſſorem in Vniverſitate Cracovienſi egit, ſex ſuper qvadraginta vicibus Pro-Conſulis munere functus, quanta Profeſſori emeritiſſimo ſapientia! quanta authoritas Conſo! Cyneas diſertiſſimus Coronata ſiue coronanda Regum Capita quoties ſalutabat, ſe talem monſtrabat Mercurium, qui dignus erat ipſos alloqui Joves. Apud Magnates Epheſtio, ſive ex particularibus ſive ex Generalibus Ordinum Regni Comitijs aliter non ſolebat redire, niſi lætus Civitati Nuntius. Sub tempus obſidionis ultimam Cracoviæ ruinam minãtis, minimè Leonis Svetici perterritus rugitu, juratam erga Sacram Regiam Majeſtatem ſervavit fidem. Liliatô ſeniô venerandus in flore Civitatis jura & literarum privilegia

gia

gia retinebat. Egit Catonem ſeverum, ſed in vitia, quæ ſola fulminatorem ſui agnoverunt; juſtitia virtuteſq; omnes tutamen & integerrimum veneratæ ſtatorem.. Pandebat Vrbi conſilia, legum promebat oracula, quibûs ipſa Themis non promeret veriora. In Conſulari Senatu primus, Mobile primum dici & eſſe meruerat, non tamen præpetî aut violentô imperiô; ſed prudenti & matura deliberatione omnia dirigebat ad ſecundos Civitatis ſucceſſus. Noverat cunctis periculis & ipſis fatis occurrere viam, priùſq; illis profunditate limatiſſimi ſẽſûs foveam in quam caderent, erigebat, antequàm patentem Craci poterant ingredi Portam. Docta acroamatum ſvavitate, comitatis excellentiâ, morum & geſtuum elegantiâ, non ceruſſato candore, etiam ab invitis amorem ſui extorquebat, ſimulq; reverentem ingerebat ſtuporem. Viridî ſpectabiles ævô juvenes in gravi Sene pluſquàm octuagenario vegetum mirabantur animum, coævi invidere timebant, ne in virtutem ejus viderentur peccare. Conſulum ſuo ſæculo & ingeniorũ Phænix, in cineres reſolutus mortales, ex illis ſibi gloriæ immortalis ſuſcitat Olympum. Agno-

ſcunt in Cælos ejus pietatem Divorum Altaria, liberalitatem egeni profitentur. Academica Lycæa ſonant ejus Profeſſoralem eruditionem, Aulæ narrant experientiam. Prætorium digna Cæleſtis Aſtrææ Majeſtas, ſuum meminit Dictatorem. Sanè ut ejus ſpecies digna Imperiô, vivis coloribus exhiberetur Orbi, Appellis penicillô opus eſſe cenſeo, Imò nec opus, Tu Perilluſtris Reverendiſſime Domine Magnum Parentem viva exprimis imagine. Boni odoris apud Poſteros HYACINTHUM auges & accumulas Tuo, Major Parente quòd evadas, ejus gloriæ incrementum. Vtiq; Philippus Pater pro ingenti ſibi triumpho & encomio reputavit, quòd minor fuerit magno Filio. Ex vernantiſſimo juventæ flore jam Tibi ipſæ nectebãtur Coronæ, earum, nec inde tantùm capax, quôd in Coronatrice Regum Cracovia fueris natus. Literariam ingreſſus Arenam, veriùs quàm Perſeo roſæ in Tui Coronamentum Capitis fiebant, conſurgebant. Eâ facilitate percipiebas literas, quaſi priùs eas noſceres, antequàm naſcereris. Moleſtiſſima Artium rudimenta pulcher Tibi fuerant luſus. Inter docti Pierij Muſas Apollinem agere videbaris.

Perplexa difficultatum arcana, & implicati Parnaſſij montis receſſus, aperti Tuo capaciſſimo ingenio patebant. Tullianus Campus nunquam ſibi floridior viſus, quàm cùm Te habuit HYACINTHVM. Brevi amæniſſima linqvens Ciceronis flumina irruiſti in tortuoſos Ariſtotelici Eurippi vortices, in quibus nunquam naufragium paſſus, felicibûs auſpicîjs ad fortunata Philoſophicæ Scientiæ non ſinè læto celeuſmate littora enataſti. Acutæ ſunt ſpinæ Logicæ, multos pungere ſolent; Te amæniter oblectabant, & in mentis acumine illis acutior evaſiſti. Vocalia Philoſophi Organa longè vocaliora reddidiſti; tantumq; ſpiritûs eruditi illis inſpirâſti, ut non Tu illîs ſed Te illa animarentur. Sub Regali Magni Iagellonis manipulo hanc bonam literarum collegiſti frugem, ut ex illa quiſq; Tibi opimam optimamq; honorum meſſem non inanî augeriô promitteret. Annis adhuc tenerior, jam talem eruditionem præteferebas, quæ & maturos ætate, licèt Heliconem inhabitent, non ſemper ornat. Ariſtoteles ſub Magiſtro Platone evaſit quidem ſummus Philoſophus, ſed diu Diſcipulũ agebat. Tibi Magiſtri ſeduliq; Profeſſores ad hoc tan-

tùm fuerunt necessarij, ut Caput ingeniũq; stuperent. Cæpisti studiorum Cursum qua finis erat; tunc jam veteranus profectu, quando alij inchoant tyrociniũ. Tunc in meta portuq; scientifico stetisti, quando alij à littore solvunt. Tunc de hoste mentibus infenso ignorãtiâ, solennî triumphasti pompâ, dum alij adhuc meticulosi prodeunt in certamen. Nexuit Philosophica Pallas binas Tuis temporibus laureas, quibus exinde ingens felicitatis accedit viror, quòd fuerint altiorum ampliorumq; Coronarũ prodromæ factæ. Ius potiùs ad Tuam sibi usurpant frontem, quòd alijs priores. Delata Athleticis Tuis lacertis Academici honoris & laboris Insigne Toga, quæ Te intra Cracias Athenas non reddidit quiescentem. Mentis magnitudine excessisti scientiarum Philosophicarum terminos, nec illis major, poteras teneri. Tota Europa patebat eximijs qualitatibus, Roma Orbis Caput provocabat ingenium. Placuit in una Vrbe Vniversum videre Orbem, & ab universo videri. Itaq; Cracoviã reliquisti, dulces Penates, amaro implevisti mærore, millena illis gaudia allaturus. Sequor Gradatione Oratoria Te in Italiam pergentem

tem, ſed vereor calcare veſtigia, quæ ſatis magna gloriâ eminet, quòd ea preſseris. Eô ſtupore umbra cum ſole verſor, Tecum Patavij, quô in Te rapiebant cuncti. Vehementer illo in horizonte licèt ardeat Tytan; copioſæ lucis exuberantiâ Tuorum luminum aciem non obruit, potiùs calentiſſimo ingenio ac mentis doctiſſimæ Phæbo intenſiorem efficiebas calorem. Oſtendiſti Latiæ Regioni quid valeant vaſta Polonorum ingenia? quomodo caleant, doctamq; calleant Minervam? Opinionem in fidem vertiſti, quòd gelida Arctos Bootes frigidus fervidæ non obſit menti. Academico Patavienſi luco intuliſti Tuô ingeniô lucem. In Æſculapiorum Lycæis in Hyppocraticis voluminibus, nulla ſe adeò involuta obtulit difficultas, quam non facilitatem redderes, Nulli oſtentabãtur receſſus, quos non penetraſſes aviditate ſciendi. In occultis rerum arcanis excelluit Plinius, quem pudet ſuæ excellentiæ, dum Tu ades Excellentiſſimus. Ars Pæonia ſi priùs Apollinem non habuiſſet Inventorem, Te ſuum profiteretur Authorem. Ante Doctorales Æſculapij Laureas par Æſculapio habebaris. Fieri tamen non potuit, ut non fieres inclytiſſi-

 mus

mus Doctor Medicinæ. A virentibus enim quomodo potueras excusari Corymbis, in cujus manibus plurimi vitæ suæ flores ne marcescerent, reposituri erant. Aliorum id non Tua utilitas svadebat. Expeditiùs ut in aliorum ires commoditates, rotunda erat è Galenorum manibus Cydaris capienda. Hanc admittis in Tua tempora sed Patavium dimittis. Mutas locum, eundem retines animum, ne sis diversus sub vario Cælo. Novus difficultatum Hypocraticarum Victor, Capitolium ingrederis Romanũ, nunquam ab Appia virtutis deviando. Intra Romulea versaris mænia, sed non illa curiositate, quâ vel marmorum superbiam vel diruta lapidum frustra, vel Palatiorum fastum revideas, aut antiquæ Romæ cadavera refodias è ruderibus. Pro Colossis & obeliscis qui alijs obicem ad seria ponunt, Tibi erant librorũ Columnæ. Ignes vestalium ubi olim arserint, ne inquireres, Tibi Cleanthis, ad illa quæ Tui muneris erãt accẽdebas lychnum. Apud Te ignis vestalis ponitur DEI amor. Ad omnes pietate effusus Aras, dignus aris efficiebaris, imò Te ipso pietatis Aram erigebas. Primos omnium dierum ortus, à Mari gratiarum prodi-

re

re Tibi flagitabâs. Remotîs oculorum illecebrîs clauſus intra mentis profundiſſimæ ſacraria cum DEO ipſo & Superis agitare conſilia ſolebas, & Te Romæ, qualem eſſe oportebat, geſſiſti. Superûm dona ac favores in Te collegiſti, quos in alios largiri ſoles. Romanorum Medicorum cathalogo adſcriptus, omnium votis reſpondes. Vnus Æſon Iaſonis Pater à Medea recoctus, in juventam reſtitutus, fabulam, non fidem facit; veriores Æſones ſunt, quos Tua docta manu eripuiſti fatis, & novam vitam agere juſſiſti. Præſcriptio Tua felix, cui medelam ſvaſit, doſimq; propinavit, mortis toxica & pocula non bibit. Felices pulveres, qui de Tua ſumebantur manu, mortales cineres, in vitæ auram commutabant. Affixi lecto, leviores cruciatus ſentiebant, quibus magnum levamen Tua præſentia fuit. Agebant grates Superis, quòd illis eo tempore infirmari contingebat, dum Te ſuo Hippocrate licuit gaudere. Inde tot Romæ vocales habes Tuæ gloriæ Coloſſos, quot ab umbris mortis vindicaſti. Ipſi Archicænobij Apoſtolici S. Spiritûs muti parietes, loqvuntur experientiã nec illi deſinent loqui, quos vocis & vitæ ſpiri-

tu animasti. Christiani Anima Orbis dictorũ vegetat fidem quanquam exanimis est Sanctissimꝰ olim INNOCENTIUS XIII. qui adhuc in Eminentissimo Cardinalatu de sanitatis cardine motus, Tuam Reverendissime Domine sollicitam agnovit curam. MICHAELI ANGELO nocte dieq; adstitisti Custos, & tamdiu langventem saluberrimîs firmabas remedjîs, donec incolumitati redderes firmæ. Quantã MICHAEL, quantã Orbis Tibi obligationem debuit! quando Eum subijci non permiseras fatis, qui supremæ præfuit Sedi, tantumq; profuit, quãtum ad bonum regimen Ecclesiastico sufficerat mundo. Serenissima Poloniarum Regina MARIA Casimira, Liliorũ Galliæ flos eminentissimus, Magni olim IOANNIS III. Regni & tori socia, Romæ hoc singulare solatium habuit, quòd viduos mærores in Te partiri solebat. Serenissimus Poloniarum Princeps ALEXANDER, Regiorum compendium decorum, animo invictus Heros, Te de suo pectore triumphare facile permisit, & inter alios familiarissimum Ephestionem habuit. Quã ob rem nemo Te apud Principes acceptior, nemo intimior fuit. Movisti Cardi-

nalium

nalium amorem, Eminentiſſimâ Nomina ipſo Tui occurſu in æſtimationem magnarum qualitatum flectebantur. Cordis ad intima Te quilibet invitabat. Eminentiſſimi Principis Romanorum LANTI de la ROVERE, Summis Triregijs in Sanctiſſimis olim SIXTO quarto, IVLIO ſecundo optimè noti, primus amor & objectũ favoris fuiſti. Diem ſe clementiſſimus Princeps perdidiſſe ratus, quoties illi à corde abſuiſti. Nec illam horam albo calculo dignam cenſuit notatu, quâ in Te ſuũ non explicuit candorem. IOSEPHVS de la TREMOILLE Sereniſſimi Regis Galliarum Miniſter, Cardinalis Eminentiſſimus, dum in Te propenſiſſimos augmentabat affectus, etiam ſui honoris incrementum noſcebat, quòd Tua fuerit familiaritate potitus. IOSEPHVS MARIA THOMASIUS ex Principibus Lampiduſæ & Palmæ Clericus Regularis, maximi ſangvinis unio, itá Tecũ certavit amore, ut Tibi uniret omnem. Ante Eminentiſſimum Cardinalatũ & in ipſo Cardinalatu quòd Tibi fuerit addictus, quis non æſtimabit? Ab illo benedictionem accipiebas, Eiq; familiaris fuiſti, qui pietate & vitæ ſanctimoniâ inſignis, ob miraculorum

 copi-

copiam inter ſánctorũ choros relatus, pro Venerabili declaratus. Sanè quiſq; optimorum, quiſq; Illuſtrium in Te defigebat oculos, explorabat animum. Stupebant loquentis voces, profunditatem mentis & ingenium mirabantur. Reſpondit Roma ſuo anagrammati amor, quem ibi etiam ab illis habebas, qui virtutem eruditam, cùm æmulari nequeant, ſæpè odio proſeqvuntur. Vt proborum corda virûm, ut Principum magnorum affectus, ita Gentes ipſæ de Te mutuũ quoddã æmulationis iniebãt certamen. Polonia Te ſibi poſcebat, Italia in Te poſſeſſionem ex decennio, quod ibidem peregiſti, meritò ſibi uſurpabat. Orbis compendium Roma ſeptem ſuos opponere videbatur colles, ne Te ſuũ Incolam magìs, quàm Hoſpitem facilè dimitteret. Cracovia Gentilitias continuò patere volebat portas, quas deſideratiſſimus ingredereris. Traxit tamen Te amor Patriæ & ab exteris, Dijs propitijs revocavit. Placuit omnibus adventus Tuus, & præcipuè Łubieniano Capiti ad mentem fuit. Nempe Celſiſſimus olim Princeps Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus CASIMIRVS ŁUBIENSKI, Epiſcopus Cracovienſis

ensis, Dux Severiæ, ut Te Româ enixis evocavit studijs, ita intimo pectori admisit. Ad sua immortalia facta, quibus Ecclesias, Vniversitatem, Xenodochia, totamq; Diœcesim ornavit, hoc adijcere censuit, quòd Te Virorum gemmā æstimaverit. Quidni æstimaverit? Alius mente pusio montes narrare solet; nullibi Incola aut Vrbium venustatem, aut columnarum ordinem, aut statuarum eminentiam enumerat, vix non statua censendus. Tu ille redijsti ab exteris, qui nec transverso ungve à Patrijs remotus virtutibus, mentem integerrimā tenens, ipsa decora dicis & elegantias spiras. Etiam cùm taceas, est quid discatur ex Te. Amplissima omninò Tuum Bibliotheca Caput, quô quidquid panditur, est propter audientes eruditio. Verbîs, penes non cerusatum candorem uteris, ut nummis, singulæ oris rotundi dictiones, singulæ gemmæ annulô æternitatis dignæ. Quam ob rem, qui Regnum in pace, libertatem in vigore, Cives cum Majestate in concordia, Præsul stabilivit Pedô, Celsissimus PRINCEPS Illustrissimus & Reverendissimus Domin9, CONSTANTINVS FELICIANVS in Szániáwy SZANIAWSKI,

Epiſcopus Cracovienſis, DVX Severiæ, Studij Generalis Univerſitatis Iagellonianæ Cancellarius, quàm in Te firmum conteſtetur affectum, Sacerrimus Myſta profiteris. Dicent Annales, explicabũt faſti, quis & quantus exſtas? Curam ægritudine languentium corporum, nunc & animarum geris. Accedis ad Divorum Aras, ad quas Te dignè ſequi profana nequit eloquentia. Cor & affectum cùm Tibi reſignaverit, Perilluſtris Reverendiſſimus Dñus DOMINICVS LOCHMAN, Canonicus Cathedralis Cracovienſis in Archipresbyteratũ Te ſibi ſuccedere effecit. Quid amor mutuus valeat? Pyladem & Oreſtem, Caſtorem & Pollucem, ampliùs in memoriam antiquitas non producat. Pulchra inverſione antequàm Preſbyter, quòd jam Archipreſbyter eras, amoris induſtria fecit. Stupuit exemplum Cracovia, quod necdũ ſimile obſervaverat. Pontificalium ornamẽtorum uſum, quem novum an obſoletum Chriſtophorus Trzćinſki, olim Archipreſbyter Cracov: laborioſiſſimô procuravit ſtudiô, quomodò Reverendiſſimus deponat LOCHMAN? Alij Dominico majores Infulas inhiare cenſebant. Alij fidem

di-

dictis negabant, quomodò Pedum de manibus dimitti poteſt? quod aliquando ambire glorioſum eſt. Se ipſos alij incuſabant, quòd minùs erant capaces retinendi in Paſtorali cura Digniſſimũ Prælatum. Omnes tamdiu dubia torquebantur anxietate, quousq; Atlanti non viderunt ſuccedere Alcidam. Eventu læti, ſucceſſu lætiſſimi, in Superos utrumq; referunt. Solem Dominicum exemplô vitæ ac virtutibus ſibi prælucentem vidit Cracovia, Te Phæbum habet. Illum Argum circa curas Paſtorales, Te centoculum obſervat. Qvòuſq; hianti ore prominebit Infula, narrabit poſteris, ſe ideo à Reverendiſſimo repoſitam LOCHMAN, quòd in Te ſimilẽ transferreretur Prælatum. Ad Vavellanas Coronas citra Infulas, hîs ornari cenſetur, cùm Te videat Infulatum. Extra inclytiſſimum Dominicanorum Ordinem, pulchrum & glorioſum eſt HYACINTHO Dominicum imitari; nec ceſſat hôc Dominicus lætari. Eſt quid Tibi gratuler Reverendiſſime Domine: Tui honoris tyrocinia Infula & Pedũ, hôc fultus, illâ exornatus, in Cracium conſcendas Vavellum. Trinum Perauguſti Capituli decus, Coronæ, Te omnis perfectionis

 invi-

nvitant Myſtam. Tunc pretioſiores futuræ, quando illis inſereris Hyacinthus. Celſiſſimi, Illuſtriſſimi, Perilluſtres, Reverēdisſimi Prælati, Canonici, quotquot ſunt, Te in ſuum Epiſcoporum Seminariū vocant. Inſulata Inſulandaq; Capita ſenſum ſuum aperiunt, quòd eis debeas adnumerari Inſulatus. Deeſt mihi tantum eloquij flumen, ut omnium in Te effuſum celebrem affectum. Apud primos in fronte Tui acceptatio, alij pectoris intima pandunt, nec quispiam eſt, qui cum primis paritate non certet, & Tibi principalem non exhibeat propenſionis candorem. Totus major illeq; Peraugustus Chorus attollit in Te conſonantiam amoris. Perilluſtris olim & Reverendiſſimus IOANNES ŁUCZKIEWicz Canonicus Cracovienſis, ires ut in Vavellum, omni alacritate egit Præcurſorē. Vltra Octuagenarius de Celſiſſimis Præſulibus bene meritus, pietate ac vitæ ſanctimoniâ inſignis, fundationibûs in Eccleſias & literas, elemoſynîs in noſocomia munificus, in omni progreſſu vitæ Vir ſecundum Cor DEI, Myſtes & anima ſancta ampliùs in vinculis corporis mortalis renuit eſſe Ioannes. Imò triſtia lætus ſubire

fata

ſata videbatur, Te quando in ſui Canonicatũ digniſſimũ viderit & reliquerit ſucceſſorem. Caucaſeus emineat Vavellus, in Te propenſis animis non ponit metam. Aligeri ſunt, ruunt volantq; in Te, quòcũq; aſcendas. Anchora Tua vim magnetis habet in affectus. Regius Sanguis, Duces in Zbaraz & Wiśniowiec WISNIOVIECCIJ, in Tuum Regale Sacerdotium, plenô æſtimationis profluit Tagô. Mytrarum, Scipionum, Clavarũ, Primarumq; Curulium Oceanus, Celſiſsimus LUBOMIRSCIORUM Sreniáwá, hôc quô in Patriam, in Te exundat amore. Armatus Ducum CZARTORISCIORUM, Orbis Poloni defẽſor Eques, Tecum optimô animô decertat. Ver gratiarum amænum in Te explicat perfectiſsimus Roſarum SZEMBECIARUM Ternio. Culmina honorum tenens MYSZKOWSCIORũ Volucris nunquam debilem erga Te ſcribit benevolentiæ characterem. Revincit Te ſuô vinculô MAŁACHOWSCIORVM Faſcia, & in ſuo retinet centro, quô magnos complectitur honores. In plenilunio meritorum WODZICCIORVM Cynthia, cùm ſit mutationis neſcia, conſtantes ſu-

orum favorum in Te dirigit influentias. Longô ſyllabô numerandorum magnorum Principum & Procerum, quos brevis pagina non capit, cùm hæreas in affectibus, auſim Tibi adſcribere Tranſcendentiam Philoſophicam, ni ſimul magnum Theologum debeã venerari. Tanquam minores circuli Te aliæ hactenus redimiebant coronæ, nunc tot fronte docta ut geras Cidares, quot in gyrũ Planetarum volvuntur ſphæræ, numerũ Laurea complet Theologica. Hæc, Zodiacus eſt, Solem Thomiſticum defert, alias illuminat & nullam à ſuo regulari impedit motu. Omnes Doctorum ornamenta Laureæ, rotunditate cæleſtibus conformes orbibus, Te Digniſſime Neo-Doctor habent Intelligentiã Motricem. Eò utiq; ſagaciſſimô evaſiſti ingeniô, quô vix unquã cæterorũ ſtudiũ eniti poteſt. Quaſvis doctas Te in uno cõcludis Athenas & omnis Parnaſſus eminet Fronte. Non tacet Archipresbyteralis Infula doctiſſimos POVODOVIOS, pientiſſimos SŁOVIKOVIOS, Magnos GORSCIOS, Te ô quanto loquetur ore! Exemplum à Te inclyto Clero, qui in curſibus officiorum

ut

ut continuus maneat, Prodromum agis indefessum. Exemplum populo Cracoviensi; quem ne à via mandatorum DEI aberrare eveniat, Præsuleô dirigis Pedô. Svavi regimine & Archipresbyterali cura omnes ad Divina allicis, soli gravem Tuæ directionis non possunt non agnoscere virgam, quos suum velle in devia ducit. Dies omnis in Tua Ecclesiâ propè Festũ primæ Classis habetur. Quævis simplex feria ob accommodam devotionis harmoniam celebratur solennis. In omnibus festivitatibus & ad omnes Pastorales functiones primus existis Mysta. Sola Insula & Pedum; non labor in Vinea Christi, Te ab alijs distingvit operarijs. Attollis vocẽ in munere Concionatorio & nullus tam gravis somni Morphæus est, qui in virtutũ & Præceptorum DEI non excitetur amorem. Cænam Domini sub tempus Hebdomadæ Sanctæ omnibus sapidam, doctissimo ita condis verborum sale, ut nisi his, non reddatur ad gustum, quibus propria in odio salus. Mellifluum Isocratem, veriorem Hortensium Tua mellea & floridissima exprimis dictione. Nec facundus Tullius, nec eloquens Demosthenes, Te-

cum in cõparationẽ venire possunt; hic aliquando ne Græcos contra infensũ hostem sua oratione animaret, & unanimem inter eos concordiam persuaderet, consultò raucedinem passus, ille etiam pro Domo sua non raró perorare solebat. Tu nisi pro Domo Domini disertissimus Orator & Ecclesiastes audiris vocalis. Gestibus ad omnem elegantiam compositis, defixos in Te audientium efficis oculos, sensibus catenas animos, plusquàm Mercurius aut Hercules Gallicanus. Præterijt more fluentis aquæ gratiarũ magni Iubilæi Annus, Tuam tamen exactam in administratione Sacramentorũ curã omni Sæculo porriget præsentem. Secretæ Confessionum exceptiones, Te dignissimum Pænitentiarium & Tuorum Præsidem Pænitentiariorum non tacebunt. Denso nimis agmine Tua Reverendissime Domine merita virtutesq; incedunt, arctam connexionem cùm inter se habeant, divisim nequeunt numerari. Singulæ clarissimè patent, sed solis instar oculos everberant & renuunt videri. Nemo tamen Memnonem agit, in quem suos radios spargunt. Aristidem Te suum integerrimum ferventibus implicatæ liti-

gijs ad Regium ſæpè Commiſſariũ delatæ fatentur Cauſæ, quas acumine ingenij ſemper ad ſenſum Iuſtitiæ reſolvis. Agit pro ſe fluidum Oratorem Tua Neo-Doctor Eximie liberalitas, quàm aureô Pactolô gẽmeoq; Hydaſpe in ornamenta Eccleſiæ ac egenos profundis. Non eſt Parium aut Indiæ ſed Tuæ ſingularis munificentiæ pretioſum Marmor, quo Altare erectum, Virgini & Matri dicatum, Eccleſiæ magnificentiam auget: hac quàm in eleganti arctificio gerit, nigredine ſplendorem diffundit. Profectò hæc eſt maxima Gentilitiæ ANCHORÆ Corona, quòd Tua larga manu Navi Inſtitoris MARIÆ conſecretur. In tantum gratiarum Mare demiſſa, ingentibûs non poterit non abũdare ſucceſſibus, quos etiam nunquam marceſcentes Theologica ominatur Laurea. Cingit coronatq; Tua doctiſſima tempora, ſed amplioribus meritis minimè coronidem imponit. Ad virorem ſuum violas Tibi florere optat. Te ultimis Ianuarij quanquam revinciat, prima tamen honorum Templa emeritæ vult patere virtuti. Solennes Doctoratûs Tui plauſus, annua Feſtivitate ſua, Eccleſiæ orisq;

aurei Doctor JOANNES CHRISOSTOMUS recreat & auget. Boni Superi, quas JOANNES etymo sonat, in Te Dignissimum Theologum deducant gratias. Semper honoribus assurgas Major; horizonti non uni pateat, quòd Tuum Gentilitium Decus sit in Ecclesia Emeriti honoris

ANCHORA.